



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De comparatione eius ad alia peccata? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

tum, ne potest dici detractio. Si autem proferat ex animi leuitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale: nisi forte verbum quod dicitur, sit adeò graue, quòd notabiliter famam alicuius lædat: & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cuiuslibet rei subtrahæ: eo modo, quo supra dictum * est, cum de restitutione ageretur.

q. 62. a. 2

Ad primum ergo dicendum, quòd reuelare peccatum occultum alicuius, propter eius emendationem denunciando, vel propter bonum iustitiæ publicæ accusando, non est detrudere, vt dictum * est.

In co. ar.

et q. 68.

ar. 1.

Ad secundum dicendum, quòd glossa illa non dicit, quòd detractio in toto genere humano inueniatur: sed addit, penè. Tum quia stultorum infinitus est numerus: & pauci sunt qui ambulant per viam salutis. Tum etiam quia pauci, vel nulli sunt, qui non aliquando ex animi leuitate aliquid dicant, vnde in aliquo, vel leuiter alterius fama minoratur: quia vt dicitur iacob. 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Ad tertium dicendum, quòd August. loquitur in casu illo quo aliquis dicit aliquod leue malum de alio, non ex intentione nocendi, sed ex animi leuitate, vel ex lapsu linguæ.

ARTIC. III.

Utum detractio sit grauior omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur?

403

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd detractio sit grauior omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur. Quia super illud Psal. 108. Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi: dicit gloss. Plus nocent in membris detrahentes Christo (quia animas crediturorum in efficiunt) quam qui eius carnem mox resurrecturam peremerunt. Ex quo videtur quòd detractio sit grauius peccatum, quam ho-

homicidium, quanto grauius est occidere animam, quam occidere corpus. Sed homicidium est grauius inter cetera peccata, quæ in proximum committuntur. Ergo detractio est simpliciter inter omnia grauior.

¶ 2 Præterea, Detractio videtur esse grauius peccatum, quam contumelia: quia contumeliam potest homo repellere, non autem detractionem latentem. Sed contumelia videtur esse maius peccatum, quam adulterium, per hoc, quod adulterium vnit duos in vnâ carnem, contumelia autem vnitos in multa diuidit. Ergo detractio est maius peccatum, quam adulterium: quod tamen inter alia peccata, quæ sunt in proximum, magnam grauitatem habet.

¶ 3 Præterea, Contumelia oritur ex ira, detractio autem ex inuidia: vt patet per * Greg. 31. Moral. ** c. 31. à med.* Sed inuidia est maius peccatum quam ira. Ergo & detractio est maius peccatum, quam contumelia. Et sic idem quod prius.

¶ 4 Præterea, Tanto aliquod peccatum est grauius, quanto inducit grauiorem defectum. Sed detractio inducit grauissimum defectum, scilicet excitationem mentis. Dicit enim * Greg. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in puluerem sufflant, & in oculos suos terram excitant: vt vnde plus detractiois perflant, inde minus veritatis videant. Ergo detractio est grauissimum peccatum inter ea, quæ committuntur in proximum. *In registr. fol. 18 c. 45. ante med.*

SED contra, Grauius est peccare facto, quam verbo. Sed detractio est peccatum verbi: adulterium autem, & homicidium, & furtum sunt peccata in factis. Ergo detractio non est grauius ceteris peccatis, quæ sunt in proximum.

RESPONDEO dicendum, quod peccata, quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quæ proximo inferuntur: quia ex hoc habent rationem culpæ. Tanto autem est maius nocumentum, quanto maius bonum de-

demitur. Cùm autem sit triplex bonum hominis, scilicet bonum animæ, & bonum corporis, & bonum exteriorum rerum: bonum animæ, quod est maximum, non potest aliter ab alio tolli, nisi occasionaliter, puta per malam persuasionem, quæ necessitatem non infert. Sed alia duo bona, scilicet corporis, & exteriorum rerum, possunt ab alio violenter auferri. Sed quia bonum corporis præminet bono exteriorum rerum, grauiora sunt peccata quibus inferitur nocumentum corpori, quàm ea quibus inferitur nocumentum exterioribus rebus. Vnde inter cetera peccata, quæ committuntur in proximum, homicidium grauius est, per quod tollitur vita proximi iam adu existens: consequenter autem adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam. Consequenter autem sunt exteriora bona, inter quæ fama præminet diuitijs, eò quòd propinquior est spiritalibus bonis. Vnde dicit Proverb. 22. Melius est nomen bonum, quàm diuitia multa. Et ideo detractio secundum suum genus est maius peccatum, quàm furtum: minus tamen, quàm homicidium, vel adulterium. Potest tamen esse alius ordo propter circumstantias aggrauantes, vel diminuentes. Per accidens autem grauitas peccati attenditur ex parte peccantis, qui grauius peccat si ex deliberatione peccet, quàm si peccet ex infirmitate vel incautela. Et secundum hoc peccata locutionis habent aliquam leuitatem, in quantum de facili ex lapsu linguæ proueniunt absque magna præmeditatione.

Ad primum ergo dicendum, quòd illi qui detrahunt Christo, impediunt fidem membrorum ipsius, derogant diuinitati eius, cui fides innitur: vnde non est simplex detractio, sed blasphemia.

Ad secundum dicendum, quòd grauius peccatum est contumelia, quàm detractio, in quantum habet maiorem contemptum proximi: sicut & rapina est grauius peccatum, quàm furtum, vt supra dictum

Etum est *. Contumelia tamen non est grauius peccatum, quàm adulterium: non enim grauitas adulterij pensatur ex coniunctione corporum, sed ex deordinatione generationis humanæ. Contumeliosus autem non sufficienter causat inimicitiam in alio, sed occasionaliter tantum diuidit unitos, in quantum scilicet per hoc, quòd mala alterius promittit, alios quantum in se est, ab eius amicitia separat, licet ad hoc per eius verba non cogantur. Sic ergo & detractor occasionaliter est homicida: in quantum scilicet per sua verba dat alteri occasionem, vt proximum odiat, vel contemnat. Propter quod in epistola Clementis * dicitur, detractores esse homicidas, scilicet occasionaliter: quia qui odit fratrem suum, homicida est, vt dicitur primæ Ioannis tertio.

q. 66. a. 9

Hetur de
pen. d. 1.
c. Homicidiorum.

Ad tertium dicendum, quòd ira querit in manifesto vindictam inferre, vt Philosophus dicit * in 2. Rhetor. Ideò detractio, quæ est in occulto, non est filia iræ, sicut contumelia: sed magis inuidiæ, quæ nititur qualitercumque minuere gloriam proximi. Nec tamen sequitur propter hoc, quòd detractio sit grauior, quàm contumelia: quia ex minori vitio potest oriri maius peccatum, sicut ex ira nascitur homicidium, & blasphemia. Origo enim peccatorum attenditur secundum inclinationem ad finem, quod est ex parte conuersionis. Grauitas autem peccati magis attenditur ex parte auersionis.

* c. 4. de
clinando
ad fi. 6.

Ad quartum dicendum, quòd quia homo lætatur in sententia oris sui, vt dicitur Prouerb. 15. inde est quòd ille qui detrahit, incipit magis amare, & credere quod dicit: & per consequens proximum magis odire, & sic magis recedere à cognitione veritatis. Iste tamen effectus potest sequi etiam ex alijs peccatis, quæ pertinent ad odium proximi.